



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 21. Circa infidelitatem vitium fidei contrarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶

CAPVT XXI.

Circa Infidelitatem vitium Fidei contrarium.

DUBIVM LXII.

An diuisio Infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim generis infidelitatis: Et an Paganismus, Iudaismus, Hæresis aut essentialiter vitia distincta?

SUNT distincta vitia. Quia eadem virtuti possunt varia vitia distincta specie opponi. Et quia deficere fide à suscepta, & in Baptismo promissa, distinctum quid est ab eo quod est deficere à fide nullibi promissa, licet deficere à castitate promissa, & non promissa. Sic Bannes 2. 2. quæst. 10. art. 5. Arag. ibid. & alij.

Distincta non sunt. Quia omnes illæ sectæ privant eadem fide, & cum illa habent eandem oppositionem: Ergo non sunt specie diversæ. Consequentia est legitima: ex nullo enim alio capite diversitas specifica in peccatis sumi potest præterquàm ex oppositione ad virtutem. Antecedens probatur: quia tota oppositio eum virtute fidei in Paganismo est totius fidei negatio, hoc est, omnium mysteriorum, quæ à fide Christiana proponuntur: Iudaismus est negatio mysteriorum Evangelicæ legis: Hæresis est aliquorum veteris, vel novi Testamenti negatio. Ergo est oppositio non formaliter diversa, sed materialiter: siquidem tam Paganismus, quam Iudaismus, & Hæresis in abneganda veritate divinæ revelationis conveniunt, & solum in negandis pluribus, vel paucioribus veritatibus reuelatis differunt. Ita Suar. de fide, d. 1. 6. sect. 4. m. 8. Coninch de f. e. d. 1. 8. dub. 6. d. n. 4. Palao de fide tr. 4. d. 2. p. m. 1. m. 4.

Cū his opinor Nā licet varia vitia specie diversa possint vni virtuti oppositam Paganismus, Iudaismus, & Hæresis, quatenus fidei contraria sunt diversimodè opponuntur. Aliter autem deficere à fide suscepta non constituere speciem diversam: alias Paganismus (vel Hæresis) hominis baptizati esset specie diversus ab eo, qui est in homine non baptizato. Neque exemplum de castitate promissa viget: quia ibi est diversum peccatum: est enim contra votum, & promissionem Deo factam, & consequenter contra specialem Religionis virtutem; ex præcisa autem fidei susceptione non sit talis promissio.

DUBIVM LXIII.

An Diuisio Infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim comprehendat omnes Infidelitatis species.

Non comprehendit. Quia non comprehendit Turcismum: siquidem Turcismus aliquod

326 Non tenet. Nō tenetur restituere fructus quovisq; sententia declaratoria criminis virgeat. Quia decretū hoc pœnale est: Ergo benigne quoad fieri possit, erit interpretandū: ut potest interpretari, ut fructus non faciat suos, neque ei possessio suffragetur, data sententia declaratoria, & non ante illam: Ergo hoc modo est explicandum Ita Navar. conf. 1. 2. m. 1. de iur. Sanch. l. 2. De cal. c. 5. m. 10. Manuel. r. 2. q. 9. Regul. qu. 7. 2. art. 3. Barbo. p. 3. alleg. 61. n. 28. Palao de fide, tr. 4. d. 1. p. m. 1. 9. n. 16.

327 His hæreo Doctoribus, quorum sententiam fidei recte, valide existimo confirmari ex eo, quod in Concilio. Concil. s. 23. c. 1. de reform. ingenio. Ibi enim quia Concilium prætendebat non residentes obligare ante Iudicis vllam sententiam obligare ad fructuum restitutionem, si quos perciperent, id declaravit. Cum ergo ipsum non egerit in nostro casu mitius planè se voluit habere, unde voluit, ut solū post sententiam intelligatur fructus esse restituendos. Patet itaque possessionem multum accipiet Beneficium suffragari ad fructus percipiendos, & retinendos in conscientia, dum non condemnatur: facta condonatione, neque fructus esse suos, nec possessione aliqua se posse tueri affirmo.

DUBIVM LXI.

An fructus, quos restituit, qui Fidei professionem omisit, sint pauperibus, fabricæ aut pro loco applicandi?

328 Applicandi sunt pauperibus, aut fabricæ Ecclesiæ, aut alij pio loco. Quia cum Concilium non determinat quibus hi fructus sint applicandi, documentum sumendum est ab alia simili fructuum per Concilium applicatione. Certe Concilium s. 22. c. 3. statuit, fructus non residentium Canonicorum, Dignitatum applicandos esse fabricæ, si indigeat, vel alteri pio loco, Episcopi arbitrio: Ergo idem dicendum de fructibus ob omisam Fidei professionem. Sic Azor. r. 2. l. 7. c. 2. q. 7. Sanch. l. 2. De cal. c. 5. n. 10.

329 Non sunt applicandi pauperibus, seu fabricæ, aut alij pio loco, sed mensæ Capitulari. Quia illi fructus sunt Capituli, quos non trahit in omittentem fidei professionem, nisi dum sententia declaratoria criminis non fertur: Ergo stante illa sententia, reddendi sunt Capitulo fructus, ac si nunquā à Capitulo esset extraxit. Ita Barbosa de poss. Episc. p. 3. alleg. 61. in fine. Garcia de Benef. part. 3. cap. 3. à numer. 40.

330 Probabilem satis esse reor primam sententiam, nempe fructus hosce posse applicari pauperibus, fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, & non esse necessario reddendi Capitulo. Quia fructus verè à Capitulo extraxit, qui omisit professionem, & fecit suos interim dum non condemnatur: quod secus est in excommunicatis, & non residentibus. At crediderim probabilius esse, Capitulo esse reddendos, adveniente sententia ob rationem, qua secunda sententia nititur.

331 Distincta vitia sunt.

332 Non sunt vitia distincta.

333 Cū his opinor.

334

Non comprehendit. aliquid ex veteri, aliquid ex nouo Testamen-

to credit: Ergo neque est Paganismus neque Iudaismus, neque Hæresis. Deinde. Aliqui fuerunt Hæretici admittentes nouum Testamentum, & non vetus: sed hi non erant Pagani, neque Iudæi, neque Hæretici. Præterea Atheismus videtur specie distinctus à Paganismo, in quo vnus Deus colitur. Demum Apostasia est speciale peccatum contra fidem, & tamē nec est Paganismus, nec Iudaismus, nec Hæresis. Sic nonnulli haud notæ infimæ Re-

centiores.
 335 *Comprehendit planè.* Comprehendit planè omnes Infidelitatis species. Quia peccato Infidelitatis non potest delinqui nisi aduersus relata in duplici Testamento veteri, ac nouo, sub quo fidei traditiones comprehenduntur: Delinquere autem aduersus hæc potest tripliciter cōtingere: primo negando vtramque Testamentum, & hoc est Paganismus: secundo, admittendo vetus, negando nouum, & tunc Iudaismus contingit: tertio admittendo nouum & vetus, sed non integrè, & tunc est Hæresis. Ita Castro Palao de fide tr. 4. d. 1. p. 1. n. 8. & omnes communiter.

336 *Hoc certum esse reor, quod vberius expono.* Certum mihi, esse diuisionem sufficientem, omnesque infidelitatis species comprehendere. Quod per ordinem ad Christum Dominum, qui est author fidei, ac salutis declaro. Nam si Christum aduentum, eiusque prophetias & figuras abneges, Paganus es: si admittis aduentum, eiusque dictis integre fidem non dedas, hæreticus es: Ergo nullus alius Infidelitatis casus potest excogitari. Porro Turcismus sub Paganismo comprehenditur. Quia non admittit Christum Redemptorem: & licet aliqua credat, quæ nos, aut Iudæi credunt, non tamen credunt illa, vt à Christo reuelata, sed vt à Mahometo dicta: Ideo Pagani absolute sunt nominandi. Certè admittentes nouum Testamentum, & non vetus, verè sunt hæretici: eo quod nouum Testamentum ex parte negabant, licet sibi contrarium visum fuerit; vna enim ex veritatibus noui Testamenti est, vetus Testamentum fuisse à Deo reuelatum. Nec Atheismus est distinctus specie à Paganismo, in quo vnus Deus colitur: sed distinguitur ab illo penes maiorem, vel minorem extensionem: sicut non distinguitur specie hæreticus, qui plures articulos negat, à negante pauciores; cum autem Paganismus consistat in negando Christum Dominum siue in se, siue in figuris, quantumvis Paganus credat vnum esse Deum: hoc non efficit esse hæreticum, quia illud non credit tanquam à Deo reuelatum, & à Christo Domino dictum. Denique nullus ex Apostasia potest à fide recedere, nisi sit Paganus, Iudæus, vel hæreticus. Fateor tamen, per antonomasiam non dici de Iudaismo, ac Paganismo: atque adeo Apostatam propriissimè dici eum qui totam fidem Christi eiusque nomen abnegat: non eum, qui retinens Christianum nomen à Christo discedit. Sanchez libro secundo Decal. capit. septimo num. 15. Farinac. tract. de hæres. question. 183. §. 2. Suar. de fide, dub. 16. sect. 5. à num. 3.

D V B I V M LXIV.

An subditus infidelis possit à Principe Christiano ad audiendam fidem compelli?

DE infidelibus baptizatis non est questio, cum Ecclesiæ subdantur. Infideles vero non baptizati sunt in duplici differentia. Alij enim sunt temporaliter subditi Ecclesiæ, vel Christiano Principi: alij sunt extra horum subiectionem. Perfecto infideles non subditi, haud possunt à Romano Pontifice per se, vel medio aliquo Christiano Principe, ad fidem audiendam compelli. Quia compulsio esse non potest absque iurisdictione: At infideles extra Ecclesiæ, & Christianorum Principum iurisdictionem existunt, vt suppono: ergo non possunt ab iis vlla ratione compelli. Suar. de fide, dub. 18. sect. 1. num. 6. Valent. 2. 2. d. 1. quest. 10. p. 1. n. 6. Coninch de fide, d. 18. dub. 14. numer. 225. & alij communiter. Quæserim itaque num subditus infidelis possit à Principe Christiano ad fidem audiendam compelli?

Potest quidem. Quia obligatio ad audiendam fidem, non excedit politicam, ac temporalem iurisdictionem: siquidem ex hac obligatione solum compelluntur fideles prædicatorem audire: non tamen sequi: audire vero prædicatorem, vt eo auditio, eligant Religionem, quæ sibi visa fuerit rationi conformior, potestatem politicam, ac temporalem gubernatoris non excedit. Alias nullus temporalis, gubernator posset subditorum peccata aduersus Religionem punire, nec illos obligare, ad media exequenda, ex quibus Religionis electio verè fieri posset. Sic Bannes 2. 2. question. 10. artic. 1. o. dub. 4. concl. 4. Suar. de fide, dub. 18. sect. 2. numer. 3. Bonacin. de fide, dub. 3. q. 2. p. 1. n. 71. numer. 3. hoc probabile putat.

Minimè potest. Quia Princeps solum potest iis infidelibus subditis ea præcipere quæ, poterat Respublica ex sua primaria institutione: nullam enim aliam habet potestatem, nisi quam à Republica accepit: At Respublica non potest sibi subditos ad fidem audiendam cogere: Ergo neque villos secularis Princeps. Minorem probo, quia Respublica non habet aliam potestatem iure naturæ, nisi præcipiendi ea, quæ ad finem politicum, & naturalem ordinantur: At auditio legis Euangelicæ supernaturalem ordinatur ad finem. Ergo Respublica non habet potestatem præcipiendi sibi subditis legis Euangelicæ auditionem. Ita Bannes citat. concl. 3. Valent. 2. 2. d. 1. question. 10. p. 1. n. 6. Salmer. tom. 1. 2. in Euang. tract. 38. Coninch dub. 18. de fide dub. 14. concl. 5. iuncta concl. 4. Palao de fide tract. 4. dub. 2. p. 1. n. 5. num. 5.

Hanc sententiam probabiliorē esse reor, quam teneo, & confirmo. Præcipi non potest iis infidelibus, auditio legis Euangelicæ, vt re hanc sententiam amplectantur: quia non est in Republica sententia esse civilis, nec in Ecclesia potestas ad cogendum aliquem ad fidem: Ergo neque etiam est potestas

Sectio II. De Fide, Dubia. 47

testas præcipiendi auditionem; quia auditio per se non est appetibilis, nec materia præcepti, nisi quatenus ad assensum legis ordinatur. Neque obstat, si dicas præcepti legis Evangelicæ auditionem, non ut illam fidelis subditus amplectatur, sed ut inter veram, ac falsam Religionem distinguat, & valeat veram eligere, falsa cōtempnere. Non inquam, obstat, quia hæc distinctio est quædam cognitio limites naturæ excedens; eiusque electio est supernaturalis: Ergo iure naturæ nō habet Princeps potestatem præcipiendi media, quæ ad eiusmodi finem ordinantur.

DUBIUM LXV.

An possit Ecclesia vi, & armis compellere infidelem Principem, ut permittat apud ditionem suam Evangelij prædicatores Fidem Publicare, si aliqui sint, qui velint audire, quando Princeps prædicationi blasphemiarum & irrisione non resistit, sed solum non permittendo Fidem prædicari?

¹⁴¹ *Nonnulla suppon.* Certum est, posse Ecclesiam per se, vel mediis Christianis Principibus compellere quoscumque infideles, ne Prædicatorem legis Evangelicæ impediant, neque prædicatorem dehonestent. Quare si infidelis aliquis Princeps blasphemiarum, & irrisione in fidem aliqua persuasionem, vel persecutionem prædicationem impedit, potest Ecclesia vi, & armis comprimere illum. Quia iure naturæ cuiuslibet est concessum iura sua defendendi, & ea, quæ sibi contraria sunt, propulsandi, sed Christiana Respublica habet ius à Christo Domino concessum prædicandi Evangelium omni creaturæ: Ergo habet ius defendendi prædicationem hanc, & sibi contraria propulsandi. Sed quid si non fiat resistentia blasphemiarum, & irrisione, sed sola expulsiōne prædicationis? potestne Ecclesia vi, & armis hunc Principem compellere, ut prædicatores admittat, & ibi securè eos retineat, ut possit Evangelium audire volentibus prædicare.

³⁴² *Non potest.* Minimè potest. Quia liberum esse videtur cuiuslibet Principi in sua ditione habitationem exteris concedere vel impedire: Ergo infert Ecclesiæ iniuriam prædicatores propulsando. Et quia Ecclesia non habet potestatem prædicandi Evangelium nolentibus: non enim potest cogere infideles ad eius auditionem præcipue si sibi subditi temporaliter non sint: Ergo neque habet potestatem, ut eius prædicatores in terris nolentibus audire prædicationem commorentur: ratione enim prædicationis solum hæc commoratio illis poterat competere. Sic Theologi docti quidem in manuscriptis.

³⁴³ *Non quidem.* Potest equidem. Quia licet princeps habeat potestatem interdicens habitationem cuiuslibet alienigenæ sua in ditione id debet ex iusta causa fieri: quæ quidem non est; quia alienigena legem Evangelicam profitetur, &c.

que prædicare intendit in quo non peccat neque adversus Deum, neque adversus Regnum. Certe prædicatorem à Regno expellere, vel aditum ei interdicere eo solum titulo, quod prædicare intendit, est iniuria illata fidei, & specialis illius contemptus: Ergo huiusmodi iniuriam poterit Ecclesia propulsare. Ita Suar. de fide, dub. 18. sect. 2. circa finem. Palao de fide, tract. 4. dubio secundo punct. 5. numer. 8.

Hoc dicendum existimo. Quia moraliter loquendo, in toto Regno deesse non potest, qui voluntarie Evangelium exaudiat, si adit prædicator: quo fructu privatur, expulso prædicatore: Ergo in defensionem huius fructus, & in favorem innocentis qui sic privatur, potest Ecclesia Principem impediētem debellare. Nec inde fit aliquem nolentem ad fidem audiendam cogi. Quia non cogit Ecclesia Principem nolentem Evangelium audire: sed solum cogit, ne viam volentibus audire præcludat. Quod videtur Ecclesiæ concessum cōcessa prædicandi potestate.

DUBIUM LXVI.

An quislibet infidelis, postquam ei fides sufficienter est proposita possit ad eam recipiendam compelli?

³⁴⁴ *Certa ratio la.* Certum est, infidelem hæreticum, qualis est, qui suscepto Baptismo, à fide defecit, posset gravibus poenis & suppliciis compelli ut erroribus expulsi ad fidem redeat. Constat ex tit. de Hæret. & fuse ostendit August. Epist. 40. & 50. Alfonso à Castro de iusta Hæret. punia. Simanc. de Cathol. infid. Rojas, Penna & alij advers. Hæret. scribentes. Ratio est, quia per Baptismum subiicitur quis Ecclesiæ, & protestatur, sub illius fide, & obedientia perpetuò manere: Ergo penes Ecclesiam debet esse potestas continendi sic subiectum in tali fide, & promissione: Igitur debet esse potestas corrigendi ac puniendi eum, si noluerit contineri alias diminuta, & inefficax esset potestas Ecclesiæ cōcessa, quod non est dicendum. Solum est difficultas de infideli non baptizato, numquam, cogi possit postquam ei fides sufficienter est proposita, ad eam suscipiendam?

³⁴⁵ *Cogi potest.* Potest equidem. Quia etsi ante propositionem sufficienter factam, nulla ei possit obligatio imponi, fidem recipiendi, siquidem nec ipse tenetur illam recipere: posita autem propositione sufficienti iam adstringitur fidem recipere: Ergo & cogi poterit ab Ecclesia ad illius receptionem. Probo hanc cōsequentiam. Quia hæc coactio cedit in magnam eius utilitatem: siquidē ratione illius recipit mediū ad salutē necessarium. Et quia cedit in fidei augmentum: nam ipsi saltem in exteriori foro ut Catholici se gerunt, eorum filij baptizantur & decursu temporis successores verè fideles existunt. Sic Maior in 2. dist. 44. question. 2. Genesius Sepulveda Caroli V. Chronista sentit posse infideles etiam non subditos cogi ad fidem recipi.

recipiendam. Sotus id de subditis infidelibus affirmat in 4. dist. 4. quest. ultim. Gabri. ibid. questione secunda dubio quinto. Alfonsi. de Castro de iust. Heret. punit. libro secundo capit. 14. Lorca 2. 2. questio. 10. dub. 36. reputato iure naturæ, hoc probabile esse dederit, esto ex iure positivo tenendum non sit.

347
Cogi non
potest.

Cogi non potest. Quia coactio esse non potest sine iurisdictione: At neque Ecclesia, neque Principes seculares iurisdictionem vlam in non baptizatos habent, vt eos possint ad fidem compellere: Ergo nullo modo compelli possunt. Conclusio est legitima, Maior huius discursus est per se nota, siquidem omnis coactio iusta, de qua loquimur, in iurisdictione ac potestate fundatur. Minorem proba ac primum de Ecclesia: hæc enim solum habet iurisdictionem ex Christi Domini concessione, Christus autem solum concessit iurisdictionem Petro circa illos, qui in Ecclesiā fuerint ingressi; dixit enim, *Pasces oues meas*. Supponitur ergo prius esse oues, vt sic possint à Petro pasci. Quia propter dixit Paulus. *Quid mihi de his, qui foris sunt? Dominus indicauit. 1. Cor. 9.* Ac si diceret, ad me non pertinent, Domino enim referuntur. Ita D. Tho. 2. 2. questio. 10. artic. 8. Caiet. Pesant. Turrian. ibi. Valent. 2. 2. disp. prim. q. 10. puncto sexto Suar. de fide, d. 18. sect. 3. numero quarto Coninch de fide, d. 18. dub. 14. concl. 4. Constat ex cap. sicut Iudei, de Iudeis, & Sarra. cap. Qui seruauit de Iudeis, dist. 45.

348
Longe hoc
probabilius,
imo mihi
certum.

Longe hoc probabilius esse credo. Nam neque Ecclesia nec secularis Princeps potest hos infideles punire, quia fidei sufficienter propostæ non assentiantur: Ergo neque potest illos compellere. Consequentia videtur legitima, tum quia diminuta, & inefficax esset compulso sine puniendi potestate: tum quia iure ipso naturali sequitur, cui est concessa potestas præcepta in supremo ordine, esse simul concessam punitiuam potestatem. Quod autem neque Ecclesia, nec secularis Princeps possit hos infideles propter infidelitatis peccatum punire, sic proba: Quia illud peccatum non est hominis Ecclesiæ subiecti: Ergo Ecclesia in illum non habet potestatem. Neque etiam est aduersus legem Principis secularis, nec Princeps secularis de illo iudicare potest, quia est de materia ab eius iurisdictione aliena. Ergo. Attamen, & si Ecclesia, aut secularis Princeps non possit infideles sibi subditos ad fidem recipiendam directe cogere: potest indirecte, imponendo scilicet eis tributa grantora, sed alias licita. Et si eorum conuersatio fidelibus nocet, potest illos expellere, nisi conuertantur. Potest compellere, non permittendo illis officij publici vsu, vel non permittendo eis si adueniunt aut bello capti, suo in Regno habitare, nisi ad fidem conuertantur, vel negando eis priuilegia, & indulta, quæ libere aliis concedit, vel prohibendo eis suæ religionis vsu, vt pote naturæ rationali contrarium, aptumque Rempublicam turbare, & inficere. Hæc omnia iudicari indirectam ad fidem coactionem, quia Princeps ea ad eius ordinat susceptionem, ad quam per se ordinata non sunt. Est tamen licita: quia non assumuntur media, quæ seculo

tali fine, assumi non possent. Mecum Becan. de fide, capit. 13. questio. 4. numer. 4. Bonac. de fide, dub. 3. questio. 2. pun. 7. numer. 3. Valent. 2. 2. di. questio. 10. punct. 6. Suar. de fide d. 18. sect. 3. numer. 8. Coninch de fide d. 18. dub. 14. numer. 238.

D V B I V M L X V I I.

An possit Christianus Princeps sua, vel Ecclesiæ auctoritate infidelibus sibi non subditis prohibere idololatriam, & peccata contra naturam, quæ specialiter Religioni Christianæ, aut innocentibus contraria non sunt

Si infideles non baptizati, (de quibus 349
sermo) subditi non sunt temporaliter Eccle-
siæ vel Christiano Principi obligatur speciali-
ter Ecclesiæ, nec Christianus Princeps procura-
re, vt errores deponant; quia sibi specialiter
commissi non sunt, obligatur tamen lege cha-
ritatis eo modo, quo vnusquisque tenetur ad
salutem alterius procurandam. Si autem infideles subditi sint Christiano Principi, vel temporaliter Ecclesiæ sicut Iudei Romæ commo-
rantes Pontifici subduntur: tunc obligatur Ecclesiæ, aut Christianus Princeps, eos ab erroribus rationi naturali contrariis, & à falso cultu, & superstitione Deorum remouere. Quia superioriori competit gubernare subditos vt secundum rationem viuant: viuere autem iuxta rationem non possunt, nisi ea, quæ rationi naturali obstant, relinquant. Quod si infidelium horum citus rationi naturali contrarij non sint, sed solum sunt nostræ fidei, eiusque præceptis oppositi, quales sunt Iudeorum ritus, & multi Saracenorum vnus Deum colentium existimo, nulla ratione cogi posse à suis Principibus, eos deferere. Quia Principis potestas solum extenditur ad gubernandos subditos, vt secundum rationem viuant. Quæstio igitur est de infidelibus Ecclesiæ, vel Principi Christiano non subiectis num possit Ecclesiæ, vel Princeps eos cogere, ne idololatriam, & alia contraria naturali rationi, & inobedientes punire, si errores illi specialiter contrarij non sint Religioni Christianæ, aut innocentibus?

Potest quidem. Quia si infidelis verba contumeliosa contra veram Religionem proferret, posset Ecclesiæ iniuriam sibi factam repellere, ac vindicare: quolibet enim perfecta Respublica ius habet, sese defendendi, iniuriasque sibi illatas vindicandi: Ergo etiam Ecclesiæ, quæ est Respublica omnino perfecta debet eam potestatem habere. Sed cum infidelis idololatriam, & alia vitia contraria naturæ committit Religionem nostram facto ipso blasphemis afficit, vt docet D. Thom. 2. 2. questio. 94. artic. 3. ad 1. subtrahit enim Deo singularitatem dominij, & fidei præcepta negat. Ergo Ecclesiæ ius habet, has iniurias propullandi, ac vindicandi. Et quidem aliquæ Nationes

Nationes sunt adeo barbaræ, vt videantur à natura constitui in mancipia: & aliq̃ ita nobilis ingenij vt Domini ac Rectores constitutæ esse videantur, quod dixit Philosophus lib. 1. Polit. c. 1. *Autum Poeta, Græcos barbaris dominari oportere, quod idem sit barbarus ac seruus.* Ergo nullam iniustitiam committit Princeps fidelis, qui more beluino viuentes in suam redigit potestatem ea intentione, vt ab eorum cordibus errores depellat. Sic Antonin. 3. p. tit. 2. cap. 5. *Paragaph. 8. Albar. Pelag. de plan. Eccl. lib. 1. c. 37. Syluest. verb. Papa, quæst. 7. Castro lib. 2. de iust. heret. punit. c. 14. Abbas ad cap. Quod, super his, de voto. Hostiens. lib. 1. Et D. Augustinus lib. 5. de Ciuit. laudat Romanos, quod barbaras Nationes subiugauerint, & viuere secundum rationem docuerint. Maior in 2. dist. 44. quæst. 10. terr. Genesi Sepulveda, cuius meminit Suar. de fide, dub. 18. sect. 4. num. 9.*

311 Non potest Princeps Christianus sua, vel Ecclesiæ autoritate infideli sibi non subdito prohibere idololatriam, & peccata contra naturam, quæ specialiter Christianæ Religionis aut innocentibus contraria non sunt. Quia Pontifici, quæ talis est, non competit potestas gubernatiua hominum, nisi quatenus sunt Ecclesiæ membra, cuius ipse Pastor, & caput est, iuxta cap. ultim. de Presbytero non baptiz. & cap. Dominus noster, dist. 56. Sed hi infideles, qui Sacra vnda non sunt diluti, non sunt Ecclesiæ membra: Ergo in illos nullam Pontifex, quæ talis est, iurisdictionem habet: ac proinde nec prohibere, nec punire horum infidelium delicta potest. Sed neque etiã potest prohibere ea, ac punire, quæ temporalium iurisdictionem habet, quia secundum hæc hi infideles ei non subduntur: Ergo Ita D. Tho. 2. 2. q. 12. art. 2. Bannes ibi. quæst. 10. art. 70. dub. ultim. concl. 2. Valent. dub. 1. quæst. 10. punct. 7. Torres disp. 2. d. 2. Coninch d. 18. dub. 12. num. 196. Suar. de fide, d. 18. sect. 4. num. 3. Victor relet. de Indif. §. 40. Sotus in 4. dist. 5. quæst. 1. artic. 10. Covarruu. Reg. peccatum, p. 2. Par. 10. num. 2. Barbosa par. 1. de potest. Episc. tit. 1. tercio capite secundo numer. 38. Bonacin. de restit. dub. 2. quæst. 10. ultim. pun. ultim. §. 2. sine.

312 Hanc sententiam omnino tenendam existimo. Nam ideo vnus cuius non potest alterius peccata punire, & prohibere, quia non habet iurisdictionem temporalem in illum: Sed Ecclesiæ, & Princeps Christianus in hos infideles nullam habet iurisdictionem: Ergo neque etiam poterit, horum peccata prohibere, ac punire. Profecto si propter infidelitatem liceret Christiano Principi aduersus infideles monere bellum, omnia plena essent perturbationibus. Nam cum quilibet existimet, suam religionem veram esse, simul etiam existimabit infidelis, sibi licere, bellum Christianis indicere, eo quod à sua religione, quæ sibi videtur vera esse, deflectat. Cæterum si peccata infidelium iniuriola sint fidei, & innocentibus noxia: poterit Ecclesiæ, & Christianus Princeps in Religionis defensionem, protectionemque innocentum ea propulsare, etsi opus fuerit, bella indicere, & è Regno nocentes exturbare. Quia illud non tam est iurisdictionis exercitium, quam fidei, & innocentum defensio. Escobar, & Mendoza, Theol. Moral. Tom. VI.

Lege Suarium de fide, dub. 18. sect. 4. numero quarto & Coninch disp. 18. dub. 12. conclusum, 5.

DVBIVM LXVIII.

An Princeps infidelis priuari possit dominio circa seruos fideles ob bonam & honorem Fidei: etiam cum nullum adest peruersionis periculum?

353
Prinari potest.

Potest priuari. Quia hæc priuatio dominij non fit ab Ecclesiæ ex directa potestate, quam habeat in infideles; sed ex iure, quod habet defendendi, ac tuendi subditorum fidelium dignitatem; quæ negari non potest, multum extolli ex eo quod susceptione fidei à seruitute liberentur. Et quia ratione infidelitatis Princeps meretur domino in seruos fideles priuari: Ergo huius meriti executio ab Ecclesiæ est gerenda. Sic D. Tho. 2. 2. q. 10. a. 10. Lorcalibi. Bannes dub. ultim. concl. 4. Maldæ. q. 10. artic. 10. concl. 3. & 4. & alij D. Thomæ Discipuli.

354
Prinari non potest.

Per se loquendo, & ratione fidei non potest Ecclesiæ fideles subditos ab infidelium dominio liberare. Quia nullibi constat, à Christo Domino concessam esse huiusmodi potestatem, sed potius contrarium ex variis Sacræ Paginæ locis colligitur. ad Tit. 2. Ephes. 6. 1. Petri 2. & alib. Quapropter in cap. Si quis seruum 7. q. 4. grauitè reprehenditur suadens seruo fugam Religionis prætextu. Si autem liber existeret, suaderi ei poterat fuga, ipseque libere eam posset accipere. Ita Nauar. sum. c. 17. n. 103. & 104. Moli. de iust. 10. d. 39. Covarruu. in Reg. pecc. p. 2. §. 11. n. 9. Suar. de fide, d. 18. sect. 5. n. 10. Coninch de fide, d. 18. dub. 10. concl. 3. & Turrian. 2. 2. d. 52. dub. 1.

355
Cum hæc opinor.

Cum his opinor, adiciens ratione periculi peruersionis, si sit proximum & morale, posse seruam eximi à seruitute. At hoc non est speciale in seruo fideli respectu infidelis dominij, sed in quocumque seruo, etiã respectu domini fidelis. Nam si dominus minis, vel importuna persuatione tentauerit seruam ad peccatum pertrahere: poterit seruus ab illius dominio se eximere; & Ecclesiæ poterit partes illius suscipere, & sibi subditum ab imminenti damno liberare. Porro ex præfata habitatione fidelis cum infideli non censeo periculum peruersionis adesse ita graue, vt possit Ecclesiæ Dominum infidelem serui domino priuare. Nam ipse seruus non potest ob tam remotum periculum à seruitute fugere; quia non est necessaria fuga, vt se indemnem afferuet: Ergo neque Ecclesiæ poterit fugam præcipere; quia in tantum eam imperare potest, in quantum ad seruandum indemnem suum fidelem, est necessaria.

E

DVBIVM

DVBIVM LXIX.

An sit peccatum mortale, violare quodcumque ex præscriptis, quæ iure communi continentur circa fidelium cum infidelibus communicationem?

356 *Nonnulla recolo circa fidelium cum infidelibus communicationem.*
Recolo, generatim prohibitam esse Christianicis familiaritatem cum Iudæis, cap. Iudæi. cap. Ad hæc. cap. fin. de Iudæis. Speciatim vero vndecim casus à Doctoribus enumerantur. Primo, prohibetur Christianus cum Iudæis habitare. Secundo, eorum azimis vesci. Tertio, iis Medicis uti. Quarto, ab eis medicinas accipere. Quinto, simul cum eis inire balnea. Hi casus habentur in cap. Nullus, 28 q. 1. Sexto, Iudæos invitare, vel ad eorum conuiuia accedere. cap. Omnes, 28 q. 1. Septimo, esse obstetrices, aut nutrices Iudæi filiorum in eius domo. Octauo, eis famulari. Nono, Iudæis in testamento aliquid relinquere, vel legatarios eos facere. cap. Si quis Episcopus, de Hæret. cap. Sanè, el. 2. 24. q. 2. Decimo, seruitutis vinculo eis subiici. Hi tres casus habentur in Cap. Ad hæc, de Iudæis. Vndecimo, ne publica officia illis committantur. C. Constituit 17. q. 4. Quæsierim igitur, an sit peccatum lethale violare quodcumque ex præscriptis, quæ in iure communi continentur circa huiusmodi fidelium cum Iudæis communicationem?

357 *Mortale non est.*
 Mortale non est, nisi adit peruersionis periculum. Quia ideo ab Ecclesia eam prohibitionem præscribit, ne communicatio Christiani cum Iudæis possit ei esse peruersionis periculum. Sic S. a. v. Iudæus, n. 1. Arag. 2. 2. q. 10. a. 9. circa principium.

358 *Mortale est.*
 Mortale quidem est. Quia ex parte finis, & ex parte materiæ, adest sufficiens causa, ut horum casuum obligatio grauis esse videatur. Ita Azor. to. 2. l. 7. c. 2. 2. q. 2. Sanch. l. 2. Decal. c. 31. m. 26. Suar. de fide, d. 18. sect. 6. m. 9. Palao de fide tr. 4. d. 2. pun. 9. n. 17.

359 *Per se creditur esse lethale.*
 Credo esse mortale per se omnia illa violare, quæ iure communi continentur. Quia propter erit mortale diuturnè famulari Iudæo. Medici Iudæi opera uti, filios eius in domo eius nutrire, eos in officiis publicis tolerare, &c. Aliquando tamen ex leuitate materiæ hæc poterunt à lethale excusari, quod præceptis omnibus est commune.

DVBIVM LXX.

An prohibitiones circa Christianorum cum infidelibus communicationem, intelligende sint de solis Iudæis?

360 *Non de solis Iudæis intelligendū.*
Non de solis Iudæis, sed de omnibus infidelibus intelligendæ sūt. Quia in omnibus militat eadem ratio, scilicet periculum ex eorum communicatione peruersionis Tabie. v. Iudæus, q. 1. m. 2. & alij, quos pressio nomine memorat Palao de fide, tr. 4. d. 2. pun. 9. n. 18.

De solis Iudæis intelligendæ sunt prohibitiones illæ. Quia solum de Iudæis textus loquuntur: & in Iudæis est specialis ratio ob eorum singulare in Christianos odium. Ita Suar. de fide, d. 18. sect. 6. m. 10. addens extendi ad Saracenos, & Mahometanos; quia hæc quæ Christianam Religionem oppugnant, ac Iudæi, & quæ est eorum familiaritas perniciosa. Admittit vero cum Sanchez prohibitionem non extendi ad quoslibet Gentiles, vel Paganos; quia non omnes sunt ita Christianæ Religionis infesti Palao citatus. & alij communiter.

Cum Suario opinor. Quia eius extensio ad Saracenos, & Mahometanos sæpe in iure reperitur. Cap. Ad hæc. c. Cum sit nimis. c. In nonnullis. c. Iudæi, el. 2. c. ult. de Iudæis. Verum cum prohibitio extra verba legis extendenda non sit, & prohibitiones ferè omnes de solis Iudæis loquantur: existimo alios infideles non comprehendendi. Sed quia aliqui casus sunt, in quibus extenditur prohibitio tum ad Saracenos, tum ad Paganos: solum illi casus, in quibus ex iure reperitur talis extensio, admittendi sunt, non alij. Hi sunt, famulari Iudæis, & Saracenis, ex c. Iudæi, el. 2. de Iudæis. præponere Iudæum, & quemlibet paganum publici officij ex c. Cum sit. c. Ex speciali. de Iudæis. Nec video alios casus, in quibus alij præter Iudæos sint comprehendendi.

DVBIVM LXXI.

An brevis scriptura, oratio, concio, quævis Epistola contineantur sub prohibitionē Bullæ circa infidelium, ac Hæreticorum libros?

361 *Decretum prohibitorium.*
Recolo, in Bulla cœnæ claus. 1. sub pena excommunicationis Pontifici reservata prohiberi omnibus Christi fidelibus ne hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate sedis Apostolicæ scienter legant aut retineant, imprimat, seu quomodolibet defendant ex quavis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio vel colore. Hæc prohibitio extensa est in aliquibus Pontificiis Decretis. Nam Sixtus V. in quadam Bulla, quæ est 21. in ordine eius in Bullario, sub excommunicatione sibi reservata, libros Astrologiæ, seu de diuinatione tractantes, quibus futura contingentia intenduntur cognosci, prohibuit. Clemens VIII. in indice librorum prohibitorum sub excommunicatione, (non tamen sibi reservata) prohibuit hæresiarum libros etiam si de Religione non tractent, nisi prius expurgentur. Item libros auctorum, qui sunt de hæresi suspecti: imo & Catholicorum, quibus sunt aliquæ hæreses admixtæ, quique ex purgatione indigent. Insuper pro Regnis Hispaniæ extat constitutio Pauli V. quæ incipit, Cum sicut accepimus, in qua prohibentur omnes libri, qui expurgationi sunt obnoxij, sub celsura Pœnitentiæ, vel inquisitori generali reservata: qui autem sint hi libri, per regulas tredecim generaliter explicatur, quæ Expurgatorii initio sunt appositæ. Porro circa hanc prohibitionem nonnulla à Doctoribus controuertuntur. Quæsi

Sectio II. De Fide Dubia.

51

Quaerim in primis, an brevis scriptura, oratio, cōcio, quaestio, epistola sub hac Bulla prohibitionē contineantur?

³⁶⁴ Continetur quidem. Quia haec librorum prohibitio non est lex odiosa, sed fauorabilis est enim in fauorem fidei, & Catholicorum defensionem. Ergo debet extendi, & ad librum minimē limitari. Et quia in breui scriptura est eadem ratio, & periculum peruersionis. Porro Congregatio Concilij declarans decretum de editione librorum latuū *ses. 4. dixit*, comprehendere sub illo decreto annotationes, & disputationes, conciones, & alia similia, nec non tractatus pertinentes ad deuotionem, & quietationem conscientiarum, stimulationes fratrum, & cetera eiusmodi, quae communicant fratres, modo communicant ad effectum imprimendi. Sic Suar. *de fide, d. 120. sect. 2. nu. 10.* Farinac. *de haeresi, q. 180. n. 30. & 31.* Vgolin. *tr. de censur. p. 2. in glos. Ac eorundem librorum, nu. 2. ve. 9.* Manu. *gg. Regul. tom. 2. quaest. 104. artic. 1.* Barbo. *de potest. Episc. part. 3. alleg. 90. fine.*

³⁶⁵ Non continentur. Quia haec scripta breuia in communi modo loquendi, libri non reputantur. Ita Sanch. *l. 2. Decal. c. 10. n. 19.* Duard. *lib. 2. in can. 1. que. 44. numer. 6.* Bonacin. *dub. 2. de censur. que. 1. 5. punct. 4. n. 18.* & probabiliter reputat Palao *de fide, tract. 4. d. 2. punct. 10. Parag. 1. num. 4.*

³⁶⁶ Ego autem existimo, primam sententiam in praxi esse tenendam (licet secundam satis probabilem esse iudicem.) Quia scripta illa minuta pars libri esse possunt saltem aptitudine. Ergo hoc sufficit, ut sub prohibitionē libri contineantur. Consequentiam probō. Quilibet pars libri haeretici, etiam si minima sit, & diuisa ab aliis partibus sub prohibitionē cadit, ut idem Sanchez ingenue fatetur, & omnes. Idem dixerim de proœmio seu Epistola: sed haec non alia ratione, nisi quia prohibito libro, omnes partes, quae fuerint illius libri, quantumcumque diuidantur manent prohibita: Ergo etiam debent prohibita manere scripta illa, quae possunt esse libri partes. Certē nomē libri gratia frequentioris vñs videtur appositum: non quia partes, ex quibus liber componitur, excludantur.

DUBIUM LXXII.

An qui prohibetur libros vetitos legere sub censura: Vitet censuram, si ipse non legat, sed alium legentem exaudiat, quem non induxit?

³⁶⁷ Prima actio prohibita, est lectio libri non exterior & materialis, quae solum verba perficit; sed formalis, quae sensum verborum intelligit. Quia haec sola est lectio propria. Non tamen est necessarium, ut verbis profectas rem lectam; sufficit si visu, & mente scripta percurras. Sanch. *lib. 2. Decal. capit. 10. nu. mer. 41. & 51.* citans Vgolinum, Grassium, & alios. Suar. *de fide dub. 20. sect. 2. numer. 18.* Bonacin. *dub. secund. de censur. quaest. 5. punct. 12.* Quaestio est, num quis vitet censuram. Eschob. & Mená. *Theol. Moral. Tom. VI.*

suram, si ipse non legat, sed alium legentem exaudiat?

³⁶⁷ Censuras non vitat, etiam si legentem ad lectionem non induxit. Quia idem est periculum in hoc modo legendi libros, ac in lectione per propriam personam facta. Nam ratio prohibendi lectionem medio visu, est, ne praua doctrina percipiatur: sed per auditum efficacius percipitur. Ergo & lectio per auditum erit prohibita. Certē lectio duplicem includit actionem, prolationem verborum, & illorum intelligentiam: & haec secunda praecipua quidem est: Ergo ratione illius potest quis dici, verē legere. Sic Suar. *de fide, d. 20. sect. 2. n. 19.*

³⁶⁸ Censuras vitat, si legentem consilio, aut mandato non induxit, ut legeret. Quia tunc haud quamquam propriē dici potest legere etiam per alium: siquidem alius nomine non legit, neque lectio illius ei tribui potest. Porro quando quis consulit, mandat, vel inducit, verē dicitur legere medio alio: quod videtur sufficere, ut sub nomine legentis comprehendatur, praecipue in prohibitionē commune bonum respiciente, ac fidei defensionem. Ita Azor. *tomo primo libro octauo cap. 16. quaest. 4.* Sayr. *in Thesaur. tom. 1. libr. 3. cap. 5. numer. 14.* Graf. *part. 1. decis. libr. 4. capit. 18. numer. 45.*

³⁶⁹ Vitamque sententiam probabilem satis esse reor. Ego autem probabilis putarim, in neutro casu audientem hac prohibitionē, & casu audientem hac prohibitionē, & censura ligari. Quia leges poenales extendendae non sunt ultra propriam significationem: sed sub verbo *legentis* non comprehenditur audiens legere, etiam si ad legendum induxerit: indutio enim ad legendum non est lectio, nec etiam auditus est lectio; quia legere proprie est visu, & mente scripta percurrere. Ergo per auditum lectionis, cuius audiens causa fuit, nequit sub prohibitionē aduersus legentes comprehendere. Mecum Sanch. *l. 2. Decal. c. 10. n. 48.* citans Vgolinum. Castro Palao *de fide tr. 4. d. 2. punct. 10. §. 2. n. 4.* Coninch *de fide, d. 18. dub. 11. n. 178.* Farinac. *de haeresi, q. 180. n. penult.* Duard. Reginald. Filliac. & alij, quos refert, & sequitur Bonac. *d. 2. de censur. quaest. 5. punct. 4. numer. 11.*

DUBIUM LXXIII.

Excusaturne quis a censura, ac delicto lethali ex lectione libri prohibiti ob materiae paruitatem si intentione plura legendi incepit?

³⁷⁰ Non excusatur, praecipue in casu, quo intendit plura folia libri haeretici legere, & poenitentia affectus post paucas lineas a lectione cessauit. Quia iam illa actio exterior est peccatum lethale: Ergo sufficiens ad censuram incurrendam hic. Vgolin. *tr. de censur. parte secunda in glos. Ac eorundem librorum. vers. 8.* Tolet. *libro primo capite 19. numer. nono.*

³⁷¹ Qui paucas lineas legit, etiam si prius animus habuisset plura legendi, censuram non contrahit. Quia licet lectio illa sit quidam

E 2 peccatum

peccatum mortale: non est mortale ex ratione lectionis exterioris, sed ratione voluntatis ex qua orta fuit; sicut si animo plura furandi assumeres assensum, & statim desisteres, peccatum mortale perpetrare non exteriori furto, sed ex prava plura furandi intentione. Excommunicatio autem non punit intentionem sed illius executionem; nam in executione non est gravis materia peccati lethalis quia regulariter non videtur esse grave periculum perversionis in lectione sex aut decem linearum. Ita Suar. *de fide*, d. 20, *sect. 2. n. 20*. Sanch. l. 2, *Decal. c. 10. n. 31*. Coninch. *de fide*, d. 18, *lib. 1. n. 179*. Bonac. d. 2, *de censur. q. 5. p. n. 4. n. 13*. Azor. 10, *l. 8. c. 16. q. 3*, & alij apud ipsos.

372
Idē assero,
& quoniam
sit materia
paruitas
hic expono.

Probabilius hoc cēse esse. Adiciō autē hāc materiæ paruitatē aliquos ad vñā paginā extendere libri in folio impressio quod non videtur in tā breui actione regulariter grave adesse periculum. Sic relato Vivaldo, & Sā, docet Sanch. l. 2, *Decal. c. 10. n. 35*. Coninch. *de fide*, d. 18, *n. 178*. Farinac. *de Hæres. q. 180. n. 13*. videtur consentire, siquidem refert hanc P. Sanchij sententiam, nec reprobatur. Ast ego cum Suar. ac Bonacina citatis, nimiam hanc esse iudico extensionem. Quia est materia periculo obnoxia, in qua haud habent laxandæ.

DUBIUM LXXIV.

Excusaturne a censura, qui ad confutandos errores, sine periculo perversionis libros Hæreticorum retinet?

373
Excusatur
quidem.

Excusatur. Quia huiusmodi retentio hæresi non fauet, sed potius illam destruit: Ergo non debet prohibitione retentionis fauentis hæresi comprehendī. Sic Felin. *ad cap. Si quis Episcopus, ver. Pre quo inferitur, de Hæreticis*. Albert. *tr. de agnoscend. asserti. Cathol. q. 28. n. 4. & 5*. Addunt ad Rom. *singul. 326. incipiente, Eo ipso quod lib. Decian. tr. crimin. l. 5. c. 35. n. 21. & c. 46. n. 26. & 27*. Mascard. *de probat. l. 2. conel. 862. n. 14*.

374
Non excu-
satur.

Minimè excusatur. Quia lex prohibet retentionem absolutè, neque enim curat, quia fiat intentione. Addo, in illa retentione, & refutatione ex propria voluntate accepta, esse perversionis periculum: qui enim firmus esse præsumitur, sæpe cadit, & laqueis, quos eximabat facile dissolvere, comprehenditur. Ita Perona in addit. ad Fymer. *Direct. Inquil. 2. p. comment. 3. ad cap. Fraternitatis, de hereticis*. Vgolin. *de censur. in glo. Aut pertinentes vers. Quarto excommunicatio*. Tolet. l. 1. c. 19. *nn. 9*. Sanch. l. 2, *Decal. c. 10. n. 53*. Farinac. *de hæres. q. 180. n. 39. & 42*. Suar. *de fide*, d. 20, *sect. 2. n. 21*.

375
Cum his
opinor.

Certè secunda actio prohibita circa libros Hæreticorum est retentio: finis verd huius prohibitionis est, ne tales libri sint in rerum natura. Quare sine libri sint tui, siue alieni: si tamen illos retineas, hanc violas legem. Et idē est, si illos apud alios depositos habeas. Quia iam eos retines. Ad quæstionem igitur, affirmo secundam sententiam vnicè esse retinendam, affirmandumque quocumque prætextu, aut sine eos libros quis retineat, absque licentia illius, qui illam dare potest, censuram in-

currere. Porro licet in tali retinere nullum esset periculum, sufficit eos libros in seculos conservari, quorum venenum Ecclesia sua prohibitione intendit omnino deperire.

DUBIUM LXXV.

Potest quis mox librum hæreticum Inquisitori tradere, & tamen illum breui tempore, nempe per vnam, vel alteram diem retinere: excusaturne a peccato ac censura?

SI nulla suppetit ei facultas tradendi librum, certum est, retentionem non esse malam. Procedit itaque quæstio ex suppositione, quod liber possit illico Inquisitori tradi, an scilicet a peccato, & censura excusetur, qui librum vetitum vno, vel altero die retinet?

Si animo retinendi librum absolutè retineat, etiam si post horam tradendus sit Inquisitori a peccato, & censure non excusatur. Quia peccatum, quod ex obiecto, & circumstantiis mortale est in momento patari potest, nam in voluntate consistit, non in mora: voluntas autem absoluta retinendi librum, peccaminosa est mortaliter, & ex illa retentio exterior, etiam per breui temporis interstitio procedit. Ergo sufficit ad censuram incurrendam. Sic Suar. *de fide*, d. 20, *sect. 1. n. 22*.

Excusatur equidem. Quia gravitas retentionis non desumitur solum ex libro, qui retinetur: sed etiam ex tempore, quo retinendus est. Quod inde constat, nam si haberes voluntatem retinendi vna hora librum, & statim illum tradendi: non video, qua ratione quis asserere possit, te gravem culpam commississe. Requiritur ergo ad retentionem gravem mora temporis: Ergo si tempus, quo de facto retines librum, breue est, etiam si voluntatem haberes longo tempore retinendi, retentio illa exterior levis censeri debet ad effectum incurrendi censuram. Quia non incurritur censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata: quæ cum sit integra, & in materia graui exercita, sed in materia levi, non sufficit ad censuram incurrendam. Porro hanc temporis moram vnum vel alterum diem includere posse crediderim. Ita Suar. *tom. 1. Theol. 1. 3. c. 5. n. 16*. Duar. l. 2, *in can. 1. q. 1. n. 53*. Reginal. l. 9, *n. 256*. Bonac. d. 2, *de censur. q. 5. punct. 4. num. 15*. Sanchez lib. 2, *Decal. capit. 10. num. 55*.

His hæreo adiciens, hanc excommunicationem extendi ad eos, qui partem libri retinent, sicut extenditur ad eos, qui legunt. Scio tamen Sancium caput. 11. numer. 52. excusare retinentem vnum tantum folium. Quia non videtur tam gravis materia in retentione, quam in lectione: non enim ita graviter retentio, quam lectio lædit.

CAPVT